Duæ orationes Dio-

NYSII LAMBINI MONSTRO-
lienſis litterarum Græcarum doctoris Regij in
aula gymnaſij Samarobrinenſis habitæ: altera
XII. Kal. Maias: altera tertio Nonas Octobr,
anno CIↃ IↃ LXIII.



PARISIIS,
Apud Martinum Iuuenem, ſub inſigni D. Chriſtophori,
è regione gymnaſij Cameracenſium.
M. D. LXIII.

ORATIO DIONYSII LAMBINI MONSTROLIENſIS litterarum Græcarum doctoris Regij XII. Kal. Maias, Pridie quàm librum ſecundum Ariſtotelis de Arte dicendi explicare inciperet, habita.

SI difficillimis, & atrociſsimis Reip. temporibus, auditores, docẽdi parteis nobis à Rege mandatas impigrè, & diligenter egimus, neque nos grauiſsimæ, & turbulẽtiſsimæ diſcordiarum tempeſtates ab officio noſtro diutius retardarunt: nunc profectò Rep. tot tantíſque malis ſi non liberata, at certè leuata, magnáque cõcordiæ & otij ſpe nobis propoſita, docendi conſuetudinem ferè ſemper à nobis vſurpatam, & propè nunquam antea intermiſſam multo libẽtius, alacriúſque tueri, ac retinere debemus. Nam cùm honeſtæ diſciplinæ, bonæque litterę otij ſint contubernales, cõcordiæ ciuilis ſociæ, pacis alumnæ: abſurdum atque adeò turpè ſit, qui in horribili armorũ ciuiliũ ſtrepitu, in maximo belli calamitoſiſsimi terrore, in obſcuriſsima triſtiſsimorũ tẽporum caligine, alieniſsimo tẽpore, ac pæne dicã, fatis inuitis, ſuo munere functi fuerint, eos nunc Rep. grauiſsimis contentionibus propemodum defuncta, luce pacis & tranquillita-

quillitatis omnibus oblata, ceſſatione torpere, atque à docendo feriatos domi deſidere. Huc accedit, quòd cum proximis ſuperioribus diebus ego & aliquot collegæ mei Karolum Regem, & Reginam eius matrem, Regíſque amicos, & cōſiliarios adiiſſemus, atque à Rege ſupplices petiiſſemus, vt collegium noſtrum ab eius auo Franciſco I. inſtitutum, à patre Errico II. amplificatum, & propagatum, à fratre Franciſco perpetuatum, & conſtabilitū ipſe quoque tueretur, & confirmaret, ſtipendiúmque, ſeu potius honorarium annuū collegio noſtro decretum & cōſtitutum, quod per totū triennium & eo amplius, propter mala temporum nobis non eſſet perſolutum, perſolui & numerari à quæſtoribus imperaret: tale à Karolo Rege, puero quidem illo, ſed heroïca, & planè diuina indole prædito, reſpōſum tulimus, quale vix ab eius auo litterarum parente, noſtríque collegij auctore expectare auderemus. Primùm de ſtipēdiis & honorariis noſtris dixit ſe cum matre ſtudiosè acturum: deinde hortatus eſt, vt noſtro munere pro ſua quiſque parte fungeremur: ſe neq; ſingulari in litteras, & litteratos amore ac ſtudio ſuis maioribus conceſſurum, neque ſuo in nos officio defuturum. Cui cùm gratias verbis quàm honorificentiſsimis (quemadmodum eius maieſtas meretur) egiſſemus, omniáque læta, fauſta, & ſecunda precati eſſemus, die poſtero Reginam eius matrem cōuenimus. Ea Regis orationem ſubſecuta, Regúmque ſuperiorum propenſam erga nos voluntatem æmulata, dixit multis nobilibus viris audientibus cùm multa his perditiſsimis temporibus dictu, auditúque acerba viſa ſint, tum hoc non leue malum accidiſſe, quòd bonæ litteræ, liberaléſque doctrinæ tota ferè Gallia conticuiſ-

conticuiſſent. Nobis autem quòd etiam in media belli inteſtini, quaſi incendij domeſtici flamma noſtro muneri non defuiſſemus, neque Rempub. deſperaſſemus, laudem maximam deberi. Stipendij tandiu nobis non perſoluti culpam temporibus eſſe aſsignandam, quippe exhauſto ſiue ærario, ſiue fiſco, & bona vectigalium Regiorum parte vel corrupta, vel interuerſa. Nihilominus tamẽ etiam in his ærarij anguſtiis, noſtri rationẽ haberi oportere, ſéque, vt haberetur, curaturã. Commẽdarant iam paucis antè diebus collegium noſtrum Dux Aurelianenſis Regis frater, bonarum litterarum, vt ceteras eius laudes taceam, ſtudioſiſsimus atque amantiſsimus: clariſsimi principes, Regis conſanguinei: Cardinalis Borbonius: Lodoicus Borbonius dux Mõtiſpenſerij, Karolus Borbonius princeps Rupis ad Iönam: Cardinalis illuſtriſsimus Guiſius: vir ſapientiſsimus Michaël Hoſpitalis Regis cancellarius: homo doctiſsimus Iacobus Amiottus magnus eleemoſynarius: vir humaniſsimus Lancilotus Carlus epiſcopus Regienſis: multi ſupplicibus libellis præfecti: in his Erricus Memmius homo eloquẽtiſsimus, omníque litterarũ genere politiſsimus: Petrus Paſchalius hiſtoricus Regius: hi omnes certatim ſuo quiſque loco cauſam noſtram accuratè egerant. Ita factum eſt, vt nobis à quæſtoribus Regiis, ſi non ea tota, quæ nobis debebatur, pecunia, at non nulla eius particula curaretur.

Hæc igitur tot clariſsimorum virorum, tot optimatum ac principũ, Reginæ matris, Ducis Aurelianẽſis, Regis ipſius in litteras illuſtris ac teſtata voluntas, auditores, & nos, vt maiore in dies alacritate in hoc ſuſcepto docẽdi labore perſeueremus, noſtrúmque inſtitutum conſtãtiſsimè teneamus,

vehementer debet excitare, & vos maiore in dies bonarũ litterarum amore magis ac magis inflammare, cum videatis, quod nonnulli vel adoleſcentium à bonarum artium ſtudio deterrendorum, vel principum & nobilium virorum criminandorum, & vituperandorum cauſa dicere ſolent, litteras nunc iacêre, neque vllo apud principes, & optimates pretio eſſe, id temerè falſóque iactari. Hoc etiam valebit ad quorundam maleuolorum hominum, quos à me nutu & ſignificatione obſcura deſcribi, quàm nominatim appellari malo, importunitatem, & ſuperbiam comprimendam, qui nos, quòd vobis conſulimus, quòd veſtris ſtudiis inſeruimus, quòd vocem ex hoc loco mittimus, auditores, ſibi obſtare exiſtimant: qui cum idem, quod nos profiteantur, nobis per ſummam calumniam aſsiduè obtrectãt, quaſi cetera gymnaſia eò ſint deſerta, minúſque celebria, quòd nos linguam Hebraïcam, Græcam, Latinam, philoſophiam, medicinam, arteis mathematicas in nobiliſsimo vrbis gymnaſio doceamus. quos monitos velim, vt nobiſcum rectè factis, & virtute, non maledictis, & vitio certent: intelligant ſibi & nobis vnum & idem propoſitum eſſe debere, vt ſtudioſam bonarum artium iuuentutem erudiamus: exiſtiment iis omnibus, qui ſe laudatarum diſciplinarum doctores profitentur, in medio palmam eſſe poſitam: neminem alienæ virtuti inuidere, qui ſuæ confidat: &, vt curſus non tarditate, ſed curſu vincitur: ſic virtutem non vitio, ſed virtute ſuperari. Hæc ſi & memoria tenebunt, & vita, factíſque comprobabunt, nobis inuidere atque obtrectare deſinent, communíque vnà nobiſcum ſtudio, litterarum, ac liberalium artium ſtatum iniuria temporum

porum

porum labefactatum, ſuíſque ſedibus conuulſum fulcire ac ſtabilire ſtudebunt: ſin ſui ſimiles eſſe pergent, nos noſtram cõſuetudinem retinebimus: vt vobis omnibus proſimus, nemini ne maleuolentiſsimo quidem iuſtam de nobis querendi cauſam præbeamus. Sed nũc ad Ariſtotelem veniamus. Meminiſtis auditores me ſuperiore æſtate primum Ariſtotelis de Arte dicendi librum ea ſpe, eóque animo in hoc loco explicaſſe, vt cum X I. Philippicas Demoſthenis (tot enim numerantur) anno conſequente interpretatus eſſem, deinceps me ad ſecundum librum explicandum conferrem. Quod igitur tum me facturum vobis pollicitus ſum, vobíſque debeo, id nunc libenter, & bona fide perſoluo. Sed quoniam audio quibuſdam videri hos Ariſtotelis libros vel parum eſſe noſtra profeſsione dignos, vel auditorum ſtudiis non admòdum vtileis, minuenda eſt hæc opinio, errórque animis eorum eripiendus. Primùm igitur nulli omnino Ariſtotelis libri ſunt, qui interprete, ac præceptore, & quaſi præmonſtratore non egeant, nullíque ex quibus non maximam vtilitatem capere poſsimus. Iam verò cum in lingua Græca docenda vnum ex oratoribus Græcis maximè Demoſthenem, ex poëtis Homerum mihi ſumſerim vobis explicandum: arbitrer autem in ſcriptoribus veteribus interpretandis atque explicandis non ſolùm verba ponderanda & obſeruanda, verùm etiam, atque adeò multo magis eorum conſilium & voluntatem eſſe ſpectandam: in hac re autem arte maximè opus ſit: vnà cum Demoſthenis & ſimilium rhetorum orationibus, & cum Homeri poëmatis, artis præcepta mihi cõiungenda eſſe exiſtimaui, omnium ferè qui docẽt, exemplum,

&

& morem ſecutus. Iis porrò, qui res infinitas paucis generibus cõprehenderũt, atque ad certas rationes, certáque præcepta reuocarunt, vnum omnibus facilè præſtare Ariſtotelem & qui plus quàm ceteri, vident, fatentur, & qui negant, parum ſapere iudicantur. Itaque cùm à doctis hominibus de Platone & Ariſtotele, vter alteri præſtet, quæritur, Platoni non adimunt diuinam quandam dicendi copiam, & grauitatem: admirabilem rerum & verborum amplitudinem ac maieſtatem: ſententias denique & rationes à communibus hominum ſenſibus remotas: Ariſtoteli autem dant infinitam rerum humanarũ ac naturalium cognitionem, docendi rationem maximè expeditam, atque diſtinctam, ſcribendi facultatem ad ſenſus hominum perquàm accommodatam. Illum aiunt cum de rebus omnibus in vtranque partem veterum Academicorum more diſputet, nihil ad extremum ponere, quod aut ipſe probare, aut lectori probandum relinquere videatur: Ariſtotelem contrà poſita primo loco quæſtione, & allatis in vtranque partem argumentis, alteram ad extremum partem contrariis rationibus diſſolutis, cõfirmare. Poſtremò omnes ad vnum conſentiunt ex paucis Ariſtotelis verſibus plus cognitionis & doctrinæ, quàm ex multis Platonis paginis poſſe comparari, hanc vnam ſcilicet ob cauſam, quòd ſingularis ineſt in Ariſtotele præceptorum via & ratione tradendorum, & definiendi, & partiendi, & colligẽdi, & docendi ſcientia. Cùm igitur Ariſtotelis nulli omnino libri ſunt non ſuo in genere apprimè vtiles, tùm hi de Arte dicẽdi libri tres non exilia quædã & ieiuna, & peruagata in ſcholis, de procemiis, & narrationibus, & ceteris orationis partibus

tibus præcepta continent, ſed ita omnem oratoriam facultatem, omnémque dicendi rationem tùm eam, quæ probationibus & artificioſis, & arte carentibus conſtat, tùm eam, per quam gignuntur in animis auditorum ſiue leniores ac mitiores, ſiue aſperiores & acriores motus, complectuntur, vt ex his omnium ætatum, ac perſonarum mores, habitus, affectus: totius ingenij humani vis ac varietas: tota eloquendi ratio cognoſci atque intelligi poſsit. Atque vt ij, qui primum librum non legerunt, ſciant quid eo libro actum ſit, & ita minore iactura ſeſe ad explicationẽ ſecundi audiendam acceſsiſſe putent, aceruatim totam primi libri diſputationem percurram. Cùm igitur Ariſtoteles omnem accommodatè ad perſuadendum dicendi rationem primo libro poſuerit in tribus, in probationibus tùm artificioſis, quæ ſunt argumentationes, & demonſtrationes rhetoricæ, tùm artis expertibus, cuius generis ſunt leges, teſtes, tabulæ, & ſimiles: in eo, vt orator ſe ipſe certo quodammodo oratione conformet: in afficiendo, & permouẽdo auditore: poſteaquam ex tribus temporibus collegit tria eſſe orationum oratoriarũ genera, deliberatiuum, panegyricum, ſeu ἐπιδεικτικὸν, iudiciale, (concio enim, vel ſenatus de futuris, auſcultator, quem ille θεωρὸν appellat, de præſentibus, iudex de pręteritis cognoſcit ac ſtatuit.) primùm docet ſuaſioni & diſſuaſioni, vtile & inutile eſſe propoſita, tãquam fineis: laudationi & vituperationi, honeſtum & turpe: accuſationi & defenſioni, iuſtum & iniuſtum: deinde quoniam ex his ſingulis propoſitiones in vnoquoque genere ſumendæ ſunt ad enthymemata, quæ ſunt argumentationes rhetoricæ, conficienda accommodatæ, de enthymemate ac-

*curatè & copioſè diſputat. Atque hoc loco, facto à gene-
re deliberatiuo, initio, quia deliberatori propoſitum eſt v-
tile: deliberant autem homines nō de fine, ſed de iis, quæ ad
finem pertinent: hæc autem vtilia ſunt in rebus agendis: v-
tilè porrò bonum eſt: ait ei, qui ſuadet & diſſuadet, propo-
ſitiones de eo quod eſt vtile & bonum ſimplicicer atque
abſolutè, parandas eſſe. Bonum autem definit, quod per ſe
eſt expetendum: cuiuſmodi eſt beatitudo, eiúſque partes.
Ac beatitudinem quidem ſic deſcribit, vel actionem pro-
ſperam cum virtute cōiunctam: vel vitam bonis omnibus
cumulatam, nihílque deſiderantem: vel vitam iucundiſſi-
mam, ac ſtabiliſſimam. Partes autem beatitudinis ſunt hę,
generis antiquitas ſeu nobilitas, amicorum copia, bonorum
virorum amicitia, diuitiæ, ſenectus facilis & valida, glo-
ria, honos, ſecūda fortuna, res bene geſta: tum virtutes cor-
poris, vt bona valetudo, pulchritudo, proceritas, vires, cele-
ritas. Quāuis autē etiam animi virtutes in bonis numeran
dæ ſint, atque adeò multo magis, quàm corporis & fortunę
bona: quia tamē opinione vulgi honeſta ſunt potius, quàm
bona, totam de virtutibus diſputationem ad eum locum,
in quo laudationis & vituperationis præcepta tradit, reſer
uat. quò prius quàm veniat, quoniam interdum in ſuaſio-
nibus & diſſuaſionibus propoſitiones ad enthymemata cō-
ficienda ſumuntur non ſolùm ex bonis confeſſis & perſpi-
cúis, verùm etiam ex dubiis & controuerſis, de his etiam
accuratè diſſerit: docétque bonorum cōtrouerſorum proba-
tionem ſumi ex huiuſmodi locis: verbi gratia, cuius cauſa
multum laboris pertulimus, id bonum eſt: & cuius contra-
rium malum eſt, id bonū eſt: & quod inimicis adfert volu-
ptatem,*

ptatem,eius contrarium nobis vtile eſt:& quod etiam inimici laudant,id bonum videtur: & quod inimicis noſtris moleſtum eſt, id nobis iucundum & bonum eſt, & ſimilibus. Addit præterea magnopere ad ſuaſiones,& diſſuaſiones valere omneis rerumpub.gerẽdarum formas,earúmque mores,leges,inſtituta tenere. Atque hoc loco quattuor rerum publicarum ſtatus numerat,Δημοκρατίαν, ὀλιγαρχίαν, ἀριστοκρατίαν, μοναρχίαν, id eſt populi dominatũ, paucorum principatum,optimatum ſummam poteſtatem,vnius imperium:de quibus ſubtilius in libris de Repub.diſputat.Expoſitis iis,quę ad ſuadendum & diſſuadendum pertinent, trãſit ad tractationem laudationis ac vituperationis: quarum cum fines ſint honeſtum & turpe,quomodo ex his ducantur propoſitiones ad enthymemata vtiles,præcipit.Honeſtum autem ſic deſcribit,quod cum ſit per ſe expetẽdum, eò iucundum eſt,quòd bonum ſit:vel quod cum ſit expetendum, laudabile eſt: cuiuſmodi eſt virtus. Atque hîc de virtutibus diſſerit:Virtutémque ſic definit longè ſcilicet aliter,quàm in libris de moribus,poteſtatem ad bona ſibi & aliis ſuppeditanda & conſeruanda,& ad bene de hominibus merendum,conferentem. Deinde parteis virtutis eaſdem ferè,quas in libris de moribus,enumerat,iuſtitiam,fortitudinem,temperantiam,liberalitatem, clementiam,magnificentiam,animi magnitudinem,prudentiam,continentiam,ſapientiam: eáſque deſcribit populariter, & minus ſubtiliter, quàm in libris de moribus. Subiungit & honeſtorum duo genera: vnum eorum, quæ virtutem gignunt: alterum eorum, quæ ex ea naſcuntur: illa ſunt efficientia, hæc ſigna & opera virtutis. Deinde proponit locos quoſ-

dam honeſtatis, vt ea eſſe honeſta, quorum merces eſt honos: & quæ nobis non proſunt, ſed aliis: & quæ mortuo potius, quàm viuo cõtingunt: & quæ quis pro patria ſuis commodis neglectis fecit, & ſimilia. Laudationem autem ſic definit, orationem quæ virtutis magnitudinem declarat. Sequitur deinceps de accuſatione & defenſione diſputatio, quarum quia iuſtum & iniuſtum ſunt fines, docet tria eſſe intelligenda ei, qui ex iuſto & iniuſto propoſitiones elicere velit: quorum primum eſt, cuius rei gratia quis alteri iniuriam faciat: alterum quomodo quis affectus alteri iniuriam inferat: tertium qualibus potiſsimùm hominibus iniuriam facere ſoleamus. Atque hoc loco primùm definit quid ſit iniuriam facere: & ait eſſe alteri nocere ſua voluntate contra legem. ſua voluntate autem, id eſt, ſcientem, & nulla vi coactum. Legẽ autem aliam eſſe ſcriptam, aliam non ſcriptam: quem locum pluribus verbis tractat poſterius eodem libro, vbi de probationibus artis expertibus differit. Deinde oſtendit vnumquẽque alteri iniuriam facere vel propter incontinentiam, vel propter vitium, atque improbitatem: ídque in ſingulis vitij & incõtinentiæ generibus perſequitur & percurrit: vt intẽperans alienam vxorem adulterat propter intemperantiam: auarus depoſitum nõ reddit, ſed inficiatur atque interuertit propter auaritiam, & pecuniæ cupiditatem: ignauus arma abiicit, & locum in acie relinquit propter mortis metum, & immoderatum vitæ amorem: iracundus alterum iniuſtè pulſat ira elatus, & propter iræ impotentiam: libidinoſus virginem vitiat libidine victus, & ita de ceteris. Deinceps quia accuſator oſtendere debet in eo quem accuſat vel omneis, vel pluri-

plurimas fuiſſe cauſas, quæ homines ad iniuriam faciendã impellũt: contra defenſor in eo, quem defendit vel nullas, vel pauciores, & leuiores fuiſſe: ſeptem cauſas enumerat actionum, rerúmque humanarum, fortunã, vim, naturam, conſuetudinem, rationem, iram, cupiditatem: quarum tres non ſunt in nobis, fortuna, vis, natura: nã neque res fortuitæ, neque violentæ, neque naturales in noſtra poteſtáte poſitæ ſunt: reliquæ quattuor ſunt in nobis. Quicquid enim vel conſuetudiue, vel ratione, vel ira, vel cupiditate adducti agimus, id à nobis agi dicendum eſt: Quibus omnibus ſingillatim vnà cum iis, quæ ad iucunda & voluptatem pertinent, deſcriptis atque explicatis, docet qui, & quo modo affecti homines potiſsimùm ad aliquod facinus iniuſtũ aggrediantur. & ait eos eſſe, qui ſe perficiendi facinoris facultatem habere putãt. Ita de talibus hominibus, & de iis rebus quæ facultatem vt fieri poſsint, habent, & quæ non habent, accuratiſsimè diſſerit. Deinceps, quod erat tertium, qualibus hominibus potiſsimùm iniuria fiat, oſtẽdit, nempe imbecillis, incautis, & iis qui ſunt inopes ab amicis, & ſimilibus. Reſtabat iam, vt de iuſtè factis, & iniuſtè factis diſsereret: quod copioſiſsime & pleniſsime facit. Ac primùm quidem docet quid inter ſe differant ἁμαρτήματα, *quæ Latini peccata, ſeu errata nominant,* ἀτυχήματα, *quæ infortunia,* ἀδικήματα, *quæ iniuſtè facta: deinde oſtendit quid à iure differant æquum & bonum, quod Græci appellant* ἐπιεικές. *Poſtremò grauiores & leuiores iniurias diſtinguit atque explicat, eáſque inter ſe comparat: atque ita abſoluit totam de probationibus artificioſis diſputationem. Sequitur deinceps ea, quæ eſt de probationibus arte*

carentibus: quæ ſunt apud eum numero quinque, leges, teſtes, conuentiones, tormenta ſeu quæſtiones, iuſiurandum: quorũ diſtinctionibus, ac deſcriptionibus primum librum concludit. Ea igitur parte, quæ tùm ad probationes artificioſas, id eſt enthymemata, & eas propoſitiones, ex quibus conſtant enthymemata, tùm ad propoſitiones artis experteis pertinet, abſoluta, ſequitur deinceps, vt qua ratione orator, quos velit, motus in animis auditorũ gignere, atque inſerere poſsit: poſtremò quonam modo ſe dicendo conformare: id eſt, quam de ſe opinionem apud auditores excitare debeat, cognoſcamus: & ita ad libri ſecũdi, in quo copioſiſsimè, & ſubtiliſsimè hæc perſequitur, explicationem veniamus.

DIONYSII LAMBI-
MONSTROLIENSIS LIT-
terarum Græcarum doctoris Regij de diſcēdo & ab optimis diſcendo oratio, a. d. tertium nonas Octob. pridie quàm orationem Demoſthenis περὶ συντάξεως explicare inciperet, habita.

COnſtitueram, auditores, quo die ſecūdi Ariſtotelis de Arte dicēdi libri explicationem abſolui, tantiſper docendi operam, laborémque intermittere, quoad T. Lucretij Cari de Natura rerum ſexcentis à me locis ex auctoritate codicū manu ſcriptorum emendati, & prætereà ſcholiis fortaſſe non inutilibus illuſtrati editionem ad exitum perduxiſſem. Sed ita me affecit noua huius vrbis ſpecies, ac de repente commutata totius ciuitatis facies: tāta me totum voluptate quaſi perfudit necopinatò oblata ex turbulentiſſima tempeſtate tranquillitas: hoc eſt remotus ab oculis noſtris armorum fulgor: ſublatus ab auribus tympanorum militarium ſonitus, tormentorúmque bellicorum horribilis fragor, & crepitus: depulſus denique ab hominum ceruicibus populi furentis & concitatæ multitudinis violentus, & cruentus impetus, vt continere me non potuerim, quin conſilio mutato priſtinam docendi conſuetudinem à

me

me dies aliquot, more maiorum hanc licentiam nobis permittente, intermiſſam quamprimùm repeterem, méque ipſum ad meum munus, penſúmque paucis pòſt Kal. Octob. diebus reuocarem. Quoniam autem data mihi à Rege Carolo litterarum Græcarum docendarum prouincia, cepi ſtatim hoc conſilium, vt duos optimos ac probatiſſimos huius linguæ auctores Homerum & Demoſthenem aſſumto etiam Ariſtotele in iis, quæ ad artem dicēdi pertinēt, alternatim vobis explicarem, vt hoc pacto duas res aſſequerer: vnam, vt in duobus diſſimilibus ſermonis generibus, poëtico & oratorio vos exercerem: alteram, vt tali varietate faſtidium vitarē: exiſtimaui me, abſoluta trium Iliados Homeri voluminum, vndecim Demoſthenis Philippicarum, duorum Ariſtotelis de Arte dicendi librorum explicatione, & officio meo functurum, & ſtudiis veſtris conſultutum, ſi reliquas Demoſthenis conciones (quas δημηγορίας appellant Greci) vobis deinceps interpretarer, vt his explanatis, ad nobileis & præclaras illas Æſchinis in Cteſiphōtis, & Demoſthenis pro Cteſiphōte, ſeu de corona orationes (ad quas audiendas concurſus Græciæ dicitur eſſe factus) & ceteras item iudicialeis ac forenſeis explicandas me conferrem. Ordiar autem ab oratione περὶ συντάξεως ordinem receptum ac vulgatum ſecutus: quia hæc oratio proximè excipit illam ad quandam Philippi oratiunculam, vndecimam Philppicam, quam poſtremam interpretati ſumus. Alioqui oratio περὶ συντάξεως oratione περὶ συμμοριῶν poſterior videtur eſſe. Id quod non ſolum Dionyſij Halicarnaſſei teſtimonio atque auctoritate confirmari poteſt, qui orationem περὶ συμμοριῶν primam omnium Demoſthe

nis

nis concionum habitam eſſe ſcribit Diotimo prætore, Demoſthene ætatis annum circiter viceſimumſextum agente, verùm etiam ex hac ipſa oratione perſpicere licet. Atque vt hoc verum videtur, ita & illud veriſimile eſt, hanc eandem orationem ante Philippicas eſſe habitam. Sed prius quàm hanc, quam explicare inſtitui περὶ συντάξεως *orationem attingam, de diſcēdi vtilitate atque adeò neceſsitate, ſi expetenda virtus ac ſapientia eſt, déque adhibendo in diſcendo magiſtrorum ac librorum delectu pauca dicam. Quibus de rebus dum apud vos rationibus atque exemplis aliquot conquiſitis & collectis diſputo, quæſo, vt me, quemadmodum antea cōſueuiſtis, diligenter atque attente audiatis. Duo ſunt hominum genera, auditores, qui quamuis ſcientiam inſcientiæ præſtare apertè negare nō audeāt, omnino tamen diſcendum eſſe negant, atque vno nomine omnia doctrinæ ſtudia, & diſciplinas omneis reiiciendas ac damnandas putant. Vnum genus eſt eorum, qui diſcere laborioſum atque moleſtum eſſe querūtur: alterum eorum, qui ſuperuacaneum, atque inutile eſſe contendūt. Quibus vtriſque hoc loco paucis reſpondere libet. Atque ad alteros quidem, eos dico, qui propter laborem ac difficultatem abhorrent à diſcendo, breuis ſanè ac facilis reſponſio eſt, immò verò ſilentio potius, quàm verbis ſunt refellendi. Nam ſi, quæ difficilia ac laborioſa ſunt, ea continuò aſpernari, aut fugere debebimus: virtus quoque ipſa nobis erit fugienda, ac repudianda: cuius viam aſperam atque difficilem & ſudoris plenam auctore Heſiodo, dij immortales eſſe voluerunt. Iam verò quid in hac vita præclarum, quid laudabile, aut glorioſum eſt, quod nō magnis laboribus dij homini-*

bus redimẽdum proponãt? Quamobrem horum ignauiam inertiam, ac ſocordiam, qui nihil, niſi quod in promtu, atque ante pedes ſit poſitum, ducunt expetendum, valere iubeamus, atque in ſuis lectulis ſtertere ſinamus: ad alteros veniamus, qui ad virtutem ac ſapiẽtiam negant quidquã conferre doctrinam, contráque diſputant, plures ſine litteris ac doctrina, quàm litterarum & doctrinæ adiumento ſapiẽteis & virtute præſtanteis extitiſſe. His igitur, qui aliquid dicere videntur, ſic reſpondeo: neminem vnquam vlla in re ceteris hominibus antecelluiſſe: hoc dico amplius, neminem vnquam hominis nomine dignum fuiſſe, qui non didicerit. Sed, ne quis erret, quemadmodum ſcire duobus modis dicimur: vno modo cum cauſas rerum exploratas habemus: altero cum effecta cauſarum: ita diſcendi duæ ſunt viæ, vna à cauſis, & generibus, & definitionibus, & vniuerſis: altera ab iis, quæ ſunt cauſis poſteriora, à partibus, à ſingularibus. Atque hoc ſcientiæ genus, quod ex rebus ſingularibus conſtat, cum in iis rebus verſatur, quæ ad vitam ſunt vtiles, proprio nomine φρόνησις, *id eſt prudentia appellatur: cum ad alias res pertinet, latiſſimo nomine* ἐμπειρία, *id eſt, ſi dicere liceat, rerum peritia, ſeu experientia nominatur. Itaque longa ætate & multo vſu quæritur: atque iccirco ſolis ſenibus & iis, qui diu verſati ſunt in rebus agẽdis, multáque & viderunt, & audierunt, & meminerũt, contingere poteſt. Illud autem alterum ſciendi genus ſcientia propriè dicitur, ſtudióque, & litteris, & ratione, & mentis agitatione comparatur. Sed vrgent nos hi litterarum ac diſciplinarum oppugnatores, proferúntque Homericum illum Demodocum, ſeu ſub Demodoci perſona, Homerum*

ipſum

ipſum, qui de ſe ipſo ita loquitur,

Αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ, θεοὶ δέ μοι ὤπασαν ὀμφήν *. id eſt,*

Ipſe ex me didici, donarunt dij mihi cantum. En tibi (inquiunt) Demodocus apud Homerum per ſe, & ſine magiſtro (hoc enim valet nomen αὐτοδίδακτος*) artem canendi conſecutus eſt. Atqui, ſi Demodoco dij cantum douauerũt, quomodo eſt* αὐτοδίδακτος*? videntur enim hæc inter ſe pugnare, eſſe* αὐτοδίδακτον*, & à diis cantum accepiſſe. Quid igitur ſibi vult Homerus? hoc, opinor, Demodocum, eóſque omneis qui à nemine mortali doctore quippiam didicerũt, ſaltem à diis immortalibus didiciſſe. Nam, proh deûm, atque hominum fidem, quid eſt aliud ſingularis quædam & præcipua in vno aliquo naturæ præſtantia, quàm Deus? Non enim, vt ait Niſus ille Virgilianus*

-Deus in nobis fit dira Cupido: ſed potius,

In nobis Deus eximia eſt, & viuida virtus. Quid eſt verò in homine omnino boni, quòd non à Deo optimo maximo, omniúmque bonorum fonte manarit? Si igitur ſcire in bonis numerandum, & expetẽdum eſt: quomodo id, quo ad illud peruenitur, ſiue à Deo, ſiue ab homine quis didiciſſe dicatur, repudiandum eſt? Quid quòd nonnulli philoſophi fuerunt, qui cum auctoritatem apud homines conſecuti non eſſent, neque ſe ſapiẽteis eſſe fidem facerent hanc vnam ob cauſam, quia magiſtrum, à quo didiciſſent, mortalem proferre poſſent neminem: aduerſus ita male credulos hominum animos, ſeſe didiciſſe, quod diuinitus perceperãt, coacti ſunt profiteri? Notum pleriſque veſtrûm eſſe puto, quod dicturus ſum. Fuit in Proconneſo Propontidis inſula ſapiens quidam Ariſteas nomine. is cum rerum omnium di

uinarum, atque humanarum (vt fama eſt) cognitionem diuino quodam afflatu conſecutus eſſet. propterea quia à nemine didiciſſe viſus erat, vulgò inſipiens, & omnium rerum imperitus habebatur. Vt igitur falſam illam de ſe opinionem ex hominum animis funditus euelleret, & veram insereret, hoc commentum reperit. Finxit animũ ſuum corpore relicto totam Græciam, totámque adeò barbariẽ peragraſſe: omnia maria, omneis inſulas, flumina omnia, monteis omneis percurriſſe: omneis maris æſtus, acceſſus, ac receſſus, omnium fluuiorum oſtia, omnium fontium origines, & capita perſpexiſſe: omneis omnium populorum leges ac mores, iuráque omnia cognouiſſe: etiam ea quæ in cælo fierent, apertius, & liquidius quàm, quæ in terra gignantur, inſpexiſſe: ſuam autem peregrinationem Hyperboreorum finibus terminatam eſſe. Hæc cum diceret Ariſteas, tum ſcilicet multo magis fidem faciebat hominibus, ſe ſapientem eſſe quàm multis pòſt annis Xenagoras, aut Xenophanes, aut Parmenides, aut quiuis alius eorum, qui naturam rerum poſterius explicarunt. Nondum enim temporibus illis à fide, aut ab opinionibus hominum peregrinatio animorum abhorrebat: neque tum illi homines quantumuis rudes, corporis oculis rerum cauſas cerni, neque vllo alio ſenſu externo rerũ obſcurarum cognitionem comparari poſſe exiſtimabant: ſed contrà animi è domicilio corporis quaſi diſceſſione, eáque, quam ſemel, atque iterum iam dixi, peregrinatione, ad rerum contemplationem, & veritatis inueſtigationem opus eſſe iudicabant. Videtis igitur, auditores, eum qui nihil diſcere vnquam viſus erat, nõ antè vulgò ſcire exiſtimatum eſſe, quàm ſe didiciſ-

ſe e-

ſe etiam falsò profeſſus ſit. Vſque adeò incredibile eſt eum ſcire, qui non didicerit. Sed quid Ariſteam virum fortaſſe non omnibus notum vobis narro? Socratem illum philoſophiæ moralis parentem, à quo Peripateticorũ, & veterum Academicorũ ſchola orta eſt, qui Apollinis oraculo ſapientiſsimus eſt iudicatus, à nemine, qui modò aliquid ſcire putaretur, diſcere aut pigebat, aut pœnitebat. A Theodoro geometriam, à Cono muſicam, ab Eueno poëticã, ab Iſchomacho agri colendi, & rei familiaris tuendæ rationem diſcebat: à Prodico Chio, ab Hippia Eleo, à Gorgia Leontino, à ceteris, quæ quiſque profiteretur, cognoſcebat. Quid quòd ne mulieres quidẽ, ſi modò eſſent eruditæ, magiſtras contẽnebat? Nónne ab Aſpaſia artem dicendi, à Diotima rerum amatoriarum ſcientiam petebat? Sed quid homines ab hominibus diſcere oſtẽdo? Etiam à beſtiis quædà didicimus. Purgandi rationẽ eam, quæ fit per alui irrigationẽ ab ibibus Ægyptiis: eam, quæ per vomitionem, à canibus accepimus. Aliquot litterarum clemẽta, rationem inſtruendi exercitus, vigilias militareis, & caſtrẽſeis Palamedẽ grues docuerunt. Quid quòd animãtes ipſæ rationis expertes diſcunt? Non enim diſcere dicimur tantùm cũ res vniuerſas, & genera, & formas rerum mente & ratione cõprehendimus, vt paullo antè diximus, verùm etiam cum quippiam vel ſenſu, vel vſu & conſuetudine, vel meditatione & exercitatione percipimus. Atqui hæc omnia nõ hominum propria, ſed nobis cum animãtibus ratione carentibus ſunt communia. Ergo equos quotidie diſcere videmus.

Carpere equus gyrum diſcit, gradibúſque ſonare
Compoſitis, ſinuátque alterna volumina crurum.

Eſtque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
Prouocat, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora vix ſumma veſtigia ponit arena, inquit Maro.
Flaccus autem ſic,
Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter
Ire viam, quam monſtrat eques.

Canum verò docilitas cui eſt ignota? Soli nomina tenent ſua: ſoli domeſticorum vocem agnoſcunt: ſoli dominum norunt ſuum. In venando quanta eſt eorum non modò innata ſagacitas, ſed etiam vſu, & ſtudio parta diſciplina? -venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in ſiluis catulus, inquit iterum Flaccus. *Sed quid equorum, quid auium docilitate referēda vobis aureis obtundo, cum vrſorum atq; elephantorum, vaſtarum, atque immanium belluarum meditationes, & ſtudia non ſolùm ſint litteris mandata, verùm etiam vſu vitæ quotidianæ comperta? Vidi ego vrſos bipedes incedere, atque ambulare: vidi orbem ſaltatorium verſare: vidi corpus quaſi exoſſatum (quod admiratione ſpectatores afficeret) in vnum complicare, & conglobare.. Commemorantur etiam vrſi venatores. Iam verò elephantorum quanta docilitas eſt? vix credibilia ſunt, quæ de iis memoriæ ſunt prodita, quāuis huic animali quandam cum genere humano ſocietatem eſſe res ipſa declaret. Diſcunt numeros, diſcunt legere, diſcunt ſcribere. Traditum eſt quendam Græcis litteris, & Græco ſermone hunc verſum ſcripſiſſe,*
Αὐτὸς ἐγὼ τάδ᾽ ἔγραψα, τὰ κελτικὰ σκῦλ᾽ ἀνέθηκα, *id eſt,*
Hæc egomet ſcripſi, armáque Gallica capta dicaui.
Fertur alius cum, quia tardius, quæ docebatur, perciperet,

ſæpius

ſæpius verberibus caſtigatus eſſet: nocte quadam, quæ erãt tradita, meditans repertus eſſe. Cui inauditi ſuut elephanti funambuli? cui bellatores? Primi quidem mortalium elephantos domuiſſe, & docuiſſe, vt his domitis & condocefactis, iu prœliis vterentur, dicuntur Pœni, vt teſtatur Lucretius, Inde boues Lucas turrito corpore tetros

Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni

Sufferre, & magnas Martis turbare cateruas.

De auibus autem quàm mira, &, niſi quotidie oculis cerneremus, quàm incredibila tradũtur? Luſciniæ quos iubentur, verſus ediſcũt, & pronunciãt. Audit diſcipula magna attentione magiſtri voces: viciſſímque & tacet & loquitur. Minimæ ferè omnium auium cardueles etiam ipſæ imperata faciunt: nec voce tantùm magiſtro pârent, vt quaſlibet voces imitando referãt, verùm etiam roſtro, & pedibus pro manibus vtuntur. Fuit olim quæ boum mugitus: fuit quæ equorum hinnitus imitaretur. Egregiè porrò præter ceteras aueis vocem humanam exprimũt pſittaci, adeò vt etiam ſermocinentur, & quæ primò non perceperunt, poſtea ſecum accuratè meditentur. Coruus quidam Tiberium, Germanicum, Druſum Cæſares per medium forum tranſeunteis: & item populum Rom. eos proſequentem ſalutare è roſtris didicerat ita proximè ſermonis humani veritatem, vt, cum à quodam ſutore propter neſcio quid irato interemtus eſſet, ille quidem amplo funere, lugẽte propè tota ciuitate, publicè elatus, & honorifica ſepultura affectus: ſutor autẽ à populo necatus ſit. Nimirum tanta admiratio ingenij & diſciplinæ eſt, vt populus Rom. populus ille omnium gentium, atque adeò orbis terrarum uictor auem

quidem

tergo præuolantium colla & capita reponere: quod quoniã ipſe dux facere non poteſt, quia non habet vbi nitatur: illum, vt ipſe quoque quieſcat, reuolare: in eius locum eam, quæ diutiſsime acquieuerit, ſuccedere: eámque viciſsitudinem in omni curſu conſeruari. Idem ferè de ceruis memoriæ proditum eſt. Dicũtur enim æſtate ex Sicilia fructuum cupiditate ducti fretũ Siculũ ad Rhegium natando tranſmittere. In longa autem nauigatione (longam dico, vt animanti ad currendum, quàm ad natandum aptiori natura) cum ceruus neceſſe habeat ceruices ſupra aquam ſublatas habere: id autem diutius facere propter cornuum grauitatem non poſsit: hanc difficultatem ſic expedit, atque hunc laborem hoc modo leuat. Natant alter poſt alterum locati, ſeſéque mutuò longo ordine, continuatáque ſerie ſubſequentes, quemadmodum exercitus cornu directo, atque in longum producto iter faciens. Natando autem ſua quiſque capita in eius, qui proximè antecedit, lumbo reponit. Iccirco, qui toti agmini præit, vbi defeſſus fuerit, ad extremam agminis partem regreditur: & ita alius exercitum ducit, alius extremo agmini præeſt. Ita etiam hæ feræ ordinis militaris ſciẽtiam ſuo ſibi iure quodammodo vẽdicare poſſunt: quam ſi non ratione, at vel ſenſu, vel vſu didicerũt. Quid eſt enim aliud ſcientia, quàm à ſenſibus profecta firmitas rationis vno ſemper tenore progrediẽtis, aliena ſeparantis, cognata congregantis: diſcrepantia diſcernentis, conſentanea coniungentis: ſimilia comparãtis, diſsimilia diſtinguentis: compoſita diuidentis, diſsipata colligentis: diſconuenientia, & diſcordantia ad conuenientiam, concordiámque reducentis? Sequitur nunc, vt à qualibus magiſtris diſcẽdum

 ſit,

ſit, oſtendamus. Cùm multa igitur in bonarum litterarum ingenuarúmque artiũ ſtudiis videnda ſunt, auditores, tum hoc in primis curandũ, vt cuiuſcunque rei cognoſcendæ ſtudio ducamur, eius rei ſcientiam ab optimis doctoribus ac magiſtris petere animum inducamus. Non temerè dixit optimus Latinorum poëtarum,

-à teneris conſueſcere multum eſt. quod de arboribus dictum, latius patet, vt etiam ad animãteis ratione prẹditus pertinere, & quadrare poſſe videatur. Ex eo enim hoc quoque intelligere licet, quæ primò didiceris, & quibuſcũque aſſueueris, ſiue ea recta ſint, ſiue praua, totam ferè ætatem permanere: à qua ſententia non admodũ diſcrepat vulgatiſſimum illud Horatianũ, Quo ſemel eſt imbuta recẽs. noſtis cetera. Itaque quotidie vſu experimur, pueros infanteis, qui nutricibus balbis, aut blæſis alendi tradũtur, vnà cum lacte nutricum, linguæ vitium, hæſitantiámque ſugere: & tametſi linguã habeant expeditam, & ſolutã natura, grãdeis tamen iam, atque adultos balbutire. Sic Leonides ille Alexadri magni cuſtos, ac magiſter iis eum puerũ vitiis imbuit, quæ robuſtum quoque, & iam magnum regẽ ab illa inſtitutione puerili ſunt proſecuta. Quocirca non immeritò muſicus quidã eos diſcipulos, qui ab alio iam doctore antè inſtituti, ſeſe poſteà deintegro ab ipſo docendos, & quaſi recudendos ei traderent, duplicem mercedem poſcebat. Duplicem enim ſibi laborẽ, vnum in dedocendis, alterum in docendis ſumendũ intelligebat. Quemadmodum porrò in cera, aut in charta multum intereſt qualis ſcriptor initio ſcribat. optimi enim ſcriptoris optimæ & rectiſſimæ litteræ: deterrimi, deterrimæ & prauiſſimæ ſolent eſſe: qualeſ-

qualeſcunque autem fuerint, diutiſsime manent, neque temerè ſua ſponte oblitterantur: & quo modo lana quencunque fucũ, aut colorem imbiberit, eum perpetuò retinet, neque vnquam ſuum priſtinum candorem recuperat:

-neque enim amiſſos colores
Lana refert medicata fuco, (inquit Flaccus.) ſic qualiſcũque fuerit prima inſtitutio, ea nos vſque ad vltimam ſenectutem, atque adeò vſque ad extremum ſpiritum proſequi conſueuit. Præterea eadem propemodũ parẽtum ratio eſt, atque magiſtrorũ. Fortes autẽ creantur fortibus & bonis.

Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam, inquit Flaccus. & ita ferè Lucretius. -acris violentia triſte leonum
Seminium ſequitur: dolũ vulpibus, & fuga ceruis
A patribus datur, & patrius pauor incitat artus.
Sed melius & verius Homerus, vt pleraque alia,
Παῦροι γάρ τι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται:
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τι πατρὸς ἀμείνους, *id eſt,*
Pauci etenim ſimiles genitoribus inueniuntur:
Plures ſunt patre peiores, pauci meliores. Nam neque ferè vnquam ex parentibus improbis & vitioſis, probi & virtute præſtantes filij naſcuntur: & à bonis & virtute præditis patribus ſæpe deterrimi, atque improbiſsimi liberi gignuntur: præclaréque cum hominibus agitur, cum ex bonis & fortibus, boni fortéſque procreantur. Idem de magiſtris ſentiendum. Nam ex bonis magiſtris exiſtunt interdum diſcipuli æque boni: interdum, ſi Deus valde propitius ſit,

quamuis aliter ſentire Euripidem non ignorem verſu illo notiſſimo: πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, id eſt Multi meliores diſcipuli doctoribus. Ex malorum verò atque indoctorum magiſtrorum officinis nũquam auditum eſt excellenteis, ac laudabileis diſcipulos prodiiſſe. Quin potius, vt ex malo coruo malum ouum paritur: ita ex indocto, & inepto magiſtro conſimiles diſcipuli exiſtere ſolent. Quòd ſi ab indoctis, atque imperitis magiſtris ij, qui aliqua in re præſtare cupiunt, refugere debent: quid dicemus de fanaticis, inſanis, amentibus, ac furioſis? quid de Chriſtianæ religionis contemtoribus, ſceleratis, atque impiis? res ipſa loquitur vel tacẽte me, quàm ſint in omni repub. capitales, atque peſtilentes. Quod autem de magiſtris vocalibus ac loquentibus diximus, idem de libris, qui muti quidam ac taciti ſunt magiſtri, dictum intelligendum eſt. Talis enim noſtra ſit oratio neceſſe eſt, quales ij libri ſunt, quos quotidie tractamus, ac peruolutamus. Si docti, & venuſti: ſi politè, & ex arte, & eleganter, & ſubtiliter, ſiue etiam copioſè, & ornatè ſcripti: nos quoque docti, omníque elegãti doctrina, & orationis vel ſubtilitate, vel vbertate, & copia inſtructi ſumus futuri. ſin mali & impoliti: ſi craſſo, & inerti, & arido, & inuenuſto orationis filo contexti: nos quoque & ingenio, & oratione taleis futuros eſſe credibile eſt. Quemadmodũ enim qui in ſole totos dies aperto capite ambulant, aut alioqui in aprico loco totas diei horas conterunt, colorem ex ſole contrahũt: ita ex iis, quos aſſiduè manibus terimus, oculíſque legimus libris, orationẽ noſtrã, & fortaſſe etiam noſtros animos vel in hunc, vel in illum habitum conformamus. Quin multo facilius, multóque ci

*tius ex librorum lectione, & quaſi contactu, qui etiam ad
animos interdum permanat, quàm ex eorum quibuſcum
quotidie verſamur,congreſſu & conuictu varios animorũ
habitus,niſi præcaueamus,contrahere, & quaſi corradere
ſolemus.Quoddam enim animi pabulũ lectio eſt.Quem-
admodum igitur ex cibis ſalubribus bona corporis conſtitu-
tio, bonáque valetudo efficitur: ab inſalubri victu vale-
tudo læditur, & corrumpitur, corpúſque male affectum,
& vitioſum redditur: ita boni & docti libri animum re-
ctis opinionibus implent,atque imbuunt,ingenium expoli-
unt,linguam ad bene dicendum acuunt: & contrà ex ma
lorum, & indoctorum, & barbarorum librorum lectio-
ne, niſi cautè legantur, & mores corrumpuntur, & in-
genium deprauatur, & lingua barbariem, infantiámque
contrahit.Quocirca valde ſunt reprehendendi, qui philo-
ſophiam ex aliis,quàm ex Platone,Xenophonte,Pluthar
cho,Alexandro,Themiſtio,Smplicio,& ſimilibus:ius ciui
le aliũde,quàm ex Iuliano, Papiniano,Vlpiano, Sceuula,
& ceteris antiquis iuriſconſultis: artem medendi ex aliis,
quàm ex Hippocrate, Galeno, Celſo tradendam ſuſcipi-
unt:qui linguam Græcã non ex Homero,Herodoto,Thu-
cydide,Euripide,Ariſtophane,Demoſthene, & ſimilibus:
ſed ex ſcriptoribus Aſiaticis non germanum helleniſmum
ſonantibus:Latinã,non ex Plauto,Terentio,Lucretio,Cæ*

factum vllo modo probare poſſum, qui fonteis ipſos vel contaminant, vel minuunt, atque anguſtiores reddunt, vt pro fontibus integris poſtea riuulos exileis, atque aridos ſitibundis auribus propinẽt. Nihilóque magis eos laudo, qui in docendo non ſuorum diſcipulorum ſtudiis conſulunt, ſed ſuæ gloriæ ſeruiunt: qui nõ aſſenſum ſincerum, neque approbationem incorruptam audientium quærũt, ſed opiniones, atque errores aucupantur: qui non id agunt, vt ſuos auditores erudiant, ſed, vt ſtupefaciant: qui denique nõ antiquæ, & veræ doctrinæ lumen ſuis diſcipulis oſtendũt, ac præferunt, ſed craſſas tenebras offundũt. Verùm ne vos me tam attentè audiendi finẽ faciatis prius, quàm ego dicendi, conſtituendus tandẽ eſt meæ orationi modus. Cum igitur conſtet inter omneis niſi inter eos, qui præter ſpeciem nihil ſimile hominis habent, ſcientiam inſcientia longè potiorem, ac præſtabiliorem eſſe, (ſcientia enim oculus quidam mentis eſt: inſcientia cæcitas) nullius autem rei ſcientiam, niſi diſcendo comparare poſſimus: cúmque demonſtrauerimus etiam animanteis rationis experteis diſcere: tum præterea ab optimis, ac præſtantiſſimis magiſtris eſſe diſcendum: eia agite, auditores, primùm ſic vobis perſuadete, multò magis nobis, quorum maximè propria veri inquiſitio, & cognitio eſt, quàm ceteris animantibus diſcẽdi laborem, ſi diſcendi labor eſt, & non potius voluptas, ſubeũdum ac perferendum eſſe. Atque vtinam reges, principes, magiſtratus, omnes denique, qui reipub. præſunt, quos æquum erat ceteris hominibus eſſe doctiores, ac ſapiẽtiores, ſibi pręcipuè diſſcendum eſſe exiſtimarent. Vtinam nobiles quidam viri, à quibus diſciplinas omneis libero dignas, bonáſque litte-

ras

ras non ſolum contemni, verum etiam indignis contumeliis vexari ac lacerari, falsíſque criminibus in odium atque in inuidiam vocari quotidie audimus, quaſi litteræ harum calamitatum, quas reſpub. accepit, culpam ſuſtineant, errare deſinerent: (ſic enim diſputant, patres, auos, proauos noſtros, quorum ætas minus fuerit erudita, minúſque litteris & diſciplinis exculta, talibus de religione diſcordiis, tot, tãtíſque malis, quibus hoc regnũ cõquaſſatum, ac propemodum euerſum, ac deletum eſt, caruiſſe: nos eorum filios, nepotes, ac pronepotes, quorum ætate litteræ florere dicantur, dum plus ſapere volumus, quàm debemus, non mouẽda mouiſſe, res nouas quæſiuiſſe, maximas tragœdias excitaſſe, cælum terræ miſcuiſſe:) vtinam hi (inquã) qui talibus maledictis litteras & litteratos homines inſectantur, ab hac mente deſiſterent, atque hunc errorem ſibi eripi paterentur: contráque aliquando tandem intelligerent, id quod veriſſimum eſt, omnia reipub. mala ab ignoratione litterarum fluere, ac manare: omniúmque, quæ in repub. peccantur, culpam in inſcientiam eſſe cõferendam. vtinam viderent, nos auorum, ac proauorum noſtrorũ cæcitatis pœnas dare: ignorationem litterarum, quæ illis ipſis, qui in maxima rerum obſcuritate vel ſua, vel temporum culpa verſati ſunt, nullum detrimentum importarit, nobis, qui, hac quidem parte, culpa vacamus, quíque, quod vel eorum negligentia,

tractum, & conflatum, initio paruum, ac puſillum, ſenſim adultum & corroboratum in noſtram ætatem erupiſſe. Quàm vellem denique perſpiceret, has funeſtiſsimas reip. cladeis, grauiſsimáſque calamitates non litteratorum, & doctorum virorum culpa, ſed inertium, ignauorum, libidinoſorum, ambitioſorum, auarorum, audacium, ſceleratorũ, impiorum hominum opera, amentiáque accidiſſe. Primùm igitur (vt ad vos redeam) hoc vobis perſuaſum habete, nobis, ſi homines & eſſe, & dici volumus, nullum diſcendi laborem recuſandum aut fugiendum eſſe: deinde ad Demoſthenem audiendum ſic animati venite, vt à Græcorum omnium, qui vnquam fuerunt, præſtantiſsimo oratore, atque ab optimo magiſtro ac doctore non Græcas modo litteras, verum etiam eloquendi, & benè dicendi facultatem: hoc eſt verborum elegantiam, & nitorem: ſententiarum acumen, & grauitatem: ſermonis munditiem, & ſanitatem: argumentorum neruos, ac lacertos, prudentiam denique ciuilem petituri, atque accepturi. Hic eſt enim ille orator, quem maxime admiratæ ſunt Athenæ, & quo ne ipſæ quidem, quas dixi Athenæ, magis fuerunt Atticæ. Hic eſt, de quo extat hoc grauiſsimum & honorificentiſſimum M. Tullij teſtimonium ab ipſa veritate ſcilicet expreſſum (ſolet enim interdum M. Tullius non omnia Demoſtheni dare, & in eo quædam deſiderare) ſed tamen homo Ro. ſuis ſemper plus nimio tribuens, Græcis multa ſæpe detrahẽs, hoc de Athenienſi Demoſthene teſtatur ac prædicat: nihil acutè inueniri potuiſſe in eis cauſis, quas ille vel egit, vel ſcripſit: nihil ſubdolè, nihil verſutè, quod ille nõ viderit: nihil ſubtiliter, nihil preſsè, nihil enucleatè, quo

fieri

ſieri poſſit aliquid limatius: nihil contrà grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel grauitate verborum, vel pōdere ſententiarum excogitari potuiſſe, quo quicquam fingi poſſit elatius. Quæ ſi vera ſunt, vt ſunt: ſperare licet eos, qui hunc oratorem diligenter, & ſtudiosè legerint, & ſiue in Græca, ſiue in Latina lingua ſe exercentes imitari, atque exprimere ſtuduerint: eius ipſius exēplaris, quod intuebuntur, quódque ſibi ad imitandū proponent, quàm ſimillimos in ſcribendo, atque in eloquendo futuros.

DIXI.

Oratio περὶ συντάξεως *quo tempore ſit habita, obſcurum eſt. verùm tamen probabile eſt eam ante Philippicas habitam eſſe, Rhodiis, Byzātiis, Chiis, Pydnæis, & ceteris ab Athenienſium ſocietate diuulſis, atque ad defectionē concitatis. Itaque nō videtur eſſe ſuo loco poſita, ſed ante Philippicas locanda, ita tamen, vt oratio* περὶ συμμοριῶν *antecedat. Hac oratione neque pacē, neque bellū ſuadet Demoſthenes, ſed cum videat inutile reip. & pernicioſum Eubuli decretū de pecunia theatrali, per quod pecunia publica, & militaris exhauriebatur, & ad loca, vnde ludos ſpectarēt, coëmenda, ciuibus diſtribuebatur, apud populum valuiſſe, neque facile à ſe aperto Marte expugnari poſſe: hoc ei propoſitum eſt id Eubuli decretū, eámque legē, ac rogationem*

teat, ne orationem quidem audire velint, verendũ eſſe, ne, qua in re ſibi rectè facere videtur, in ea re ſe grauiſsime peccaſſe ex euentu intelligant. Itaque ſe cenſere, vt quẽadmodum concio aduocata ſit, in qua de pecunia publica in vſum theatralem vertenda ageretur, ita altera concio de ciuitate per claſſeis deſcribẽda, & de re militari conſtituenda habeatur. Deinde ſui cõſilij pluribus verbis cauſam affert, eiúſque commoda enumerat: nempe vt Atheniẽſes in ſe ipſis, non in externo exercitu ſpem habeãt: & vt ipſi eorum, quæ gerũtur ab imperatoribus, ſint teſtes ac ſpectatores, non autem in foro ambulãtes quid agat ille, aut ille imperator, inter ſe percunctentur: & vt ne omne tempus, omnémque reip. adminiſtrãdæ rationẽ in ducibus accuſandis conſumere cogãtur, quemadmodũ quotidie factitare ſolent: & vt ne ſocij vi, & præſidiis in ſuas vrbeis impoſitis coacti, ſed cõmunibus emolumẽtis adducti in amicitia permaneant: & vt ne imperatores ſocios quidem ſpolient, diripiant, atque expilẽt: hoſteis autem ne videant quidem, ſed potius, vt quibus detrimentis, & calamitatibus ſocios afficiunt, iiſdem hoſteis affligant: & vt Græciæ principatum ſua negligentia, & ſocordia amiſſum, recuperare conentur. Deniq; docet, vtilitatẽ, quæ ex Eubuli decreto ad populũ Atheniẽſem perueniat, eſſe duos obolos, id eſt vix duos ſeſtertios: quæ autem ex ſua ſententia cõmoda ſunt oritura, cum Perſarũ gazis eſſe comparanda, equitatũ, peditatum, triremeis inſtructas, atq; armatas, vectigalia ampliſsima, ſociorũ beneuolentiam firmam, & ſtabilẽ, & ſimilia. Deinceps vt Eubuli auctoritatẽ minuat, eíque fidem deroget, actiones ſuas publicas, cum eius actionibus comparat: & oſtendit

oſtendit ſua conſilia ad dignitatẽ, & amplitudinẽ ciuitatis & reip. vtilitatem ſpectare: ſéque ſuis orationibus, & ſentẽtiis populũ ad res magnas, & præclaras, & ad maiorum virtutem, & gloriã excitare: Eubuli autẽ, & aliorum, qui eandem in rep. gerẽda viam ingreſsi ſunt, conſilia & curas in rebus paruis, leuibus, & ciuitate indignis conſumi: vt in propugnaculis dealbãdis, in viis reficiendis, in fontibus, & nugis. Deinde ſuperioris ętatis rhetorũ actiones cum actionibus ſuæ ætatis rhetorũ confert, & demonſtrat valde eſſe diſsimileis: ſe autẽ illorũ exemplum proximè ſequi. In ſumma tota hæc oratio in treis parteis diuiſa eſt. Ac prima quidem pars caput vtilitatis continet, cum oſtendit eſſe vtile reipub. exercitũ ciuilem comparare, neque ſalutem reipub. externis militibus committere. In ſecunda rhetores ſuæ ætatis reprehendit, & inſectatur, quòd populum ocio, & deſidiæ aſſuefaciant, ignauiáque, & mollitie corrumpant, neque ſuo officio fungi ſinãt, ſed militibus externis, & paucis imperatoribus ſummã rem permittere iubeant, & cum oporteat ciuitatem Athenienſem Græciæ praeeſſe, id prohibeant: quo loco à cauſa degrediens ſuam reip. gerẽdæ rationem cum aduerſariorũ ſuorum cõſiliis cõparat: quod eò pertinet, vt ſibi auctoritatem, ſuæque orationi fidem conciliet: aduerſariorũ contrà auctoritatẽ eleuet, ac minuat. In tertia parte ineſt alia degreſsio à propoſito ſermone, in qua reip.